



9 3
APOLOGIÆ

Disputatio III.

De

Quæstione,

Quando Physica ceperit?

Quam

Sub Præsidio

VIRI

EXCELLENTISSIMI atq; PRÆCLARISSIMI

DN. JOHANNIS Sperlings/

PHYSICÆ PROFESSORIS LONGÈ

CELEBERRIMI

Dn. Præceptoris, & Patroni sui, devotâ animi observantiâ
colendi.

disquisitioni sistit publicæ

CHRISTIAN-FRIDERICUS Krohn/

Neo-marchicus.

in Almâ ad Albim Leucoreâ

Addiem 1. Martij

in Auditorio Majori, horis matutinis

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr. 1651.

Mosieur Krohn

APOLLONIE

III

1611

Dr. Johann ...

CHRISTIAN ...

typis Johannis Rohner, Act. J. ...

Handwritten signature or note in the bottom left corner.





APOLOGIÆ

Disputatio Tertia.

De
Questione,
Quando Physica ceperit?

THESES.

I. Secunda quæstio est, quando Physica ceperit? Respon-
sio: *Non nudius tertius, neq; cum Aristotele, sed cum ipsis rerum
primordiis.* Non multum in his consumendum operæ esset, si
fugere, quam quærere mallet lites Adversarius. Sed non qui-
es huic, nisi alius inquietis. Clara, vera, & sincera sunt, quæ
dixi. Idem natalis Physicæ, qui hominis primi fuit. Non
nata serius est, quam homo, naturalis Scientia. Primus Phy-
cus primus homo fuit, qui in primo illo statu aliquot sapien-
tiæ dedit specimina. Appellavit enim Adam nominibus suis
animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ.
Et Evam è costâ ædificatam postquam adduxisset optimus re-
rum conditor, dixit: Os ex ossibus meis & caro ex carne meâ
est: hæc vira vocabitur, eò quod ex viro desumpta est. Pul-
cherrima hæc fuerunt documenta scientiæ, quam digito o-
mnipotentiæ Creator inscripserat.

II. Propagata etiam naturæ vi in omnem posteritatem
fuiſſet sapientia ista, nisi dignitate & beatitudine suâ ex-
cidisset homo per inobedientiam. Sapiens generasset sapien-
tem, tristissimus ille lapsus si non accidisset. Sed factum cheu!
Hinc multum in posteris de ingenuitate atque sinceritate sua
decoxit Physicæ. Nascitur aranea officiosa ac prudens, &
nulli mortalium imitabilem texturam facit. Inest apibus
prudencia ad fingenda domicilia, & formanda dulcia mella.
Nidum aviculæ quæque suum è certâ materiâ, in certo loco,

in certam formam componere norunt. Nobis non licet esse tam beatis! Homo rudis, & rerum suarum, divinarum ac humanarum, nascitur ignarus. Si quid est, quod natura dat, non dilucidum, non expressum satis est.

III. Informavit autem Adam filios suos, & hi posteros. Sic de domo in domum, de gente in gentem, tradita est Physica, usq; ad Noachum. Noa velut alter Adam non minori studio aluit & propagavit sapientiam. Habuit omnis generis animantia secum in arcâ, quorum constitutionem, naturam, operationes, victum, & alia, nescire non potuit. Zoroaster diligentissimus fuit in contemplatione siderum, aliarumque rerum naturalium. Ferunt eum vel ipsum Chamum, vel Chamii filium, vel Chamii nepotem & Noachi pronepotem fuisse. Abraham, Isaac & Jacob, præter veram de Deo doctrinam, Physicam etiam coluerunt. Joseph in Ægyptum & pietatem & artes transtulit, atque Ægyptios in his informavit. Seris temporibus Sapientia ad Græcos pervenit, qui varias ac distitas longissimè regiones perlustrarunt, atque sapientiæ opes conquiritas undique comportarunt. Democritus in Ægyptum profectus est, & in Persidem ad Chaldaeos: & cum Gymnosophistis in India congressus fuit, atque in Æthiopiâ venit, & arcana quæque investigavit. De Platone, Pythagorâ, Anaxagora, & aliis tacere præstat, quam pauca tradere. Certum illud, ab Hebræis venisse Physicam ipsamque Philosophiam.

Ex Met:
Lib. 3.
P. 747.

IV. Placet dare in rem hanc egregia D. Jacobi Martini verba: *Non dubium est, apud Hebræos ut fuerunt Theologi omnium præstantissimi Patriarchæ & Prophetae; ita quoque apud eosdem prudentissimos sapientissimosque omnium Philosophorum Philosophos, rerumque indagatores solertissimos floruisse, per quos deinde ex Ægypto sanior & philosophia ad omnes gentes pervenit. Paulò post. Hoc Dei donum unâ cum verâ Theologia & cultu divino Adam summo studio diligentiaque filiis tradidit, & fideliter ad posteritatem propagavit. Sapè ipse super viridi cespite sedens de Deo cultuque divino, item de natura rerum, de stellarum motibus, de plantis, arboribus, animalibusq; cum liberis disputavit. Qui cum à Parente Adamo didicis.*

dicissent, mundum quondam diluvio & incendio periturum, veriti ne majora inventa posteris detraberentur, duas columnas vel tabulas erexerunt, alteram lapideam alteram lateritiā, quibus mundi creationem, lapsum hominis, primam promissionem, fundamentaque omnium artium inscripserunt, ut, quamcumq; sustineret orbis pœnam, altera tamen istarum extaret ad posteros, quemadmodum expressè testatur Josephus, affirmatque lapideam tabulam adhuc suo tempore in Syria asservatam fuisse.

V. Sed aliquid invenit homo contentionis quam veritatis cupidior. Nihil enim tam rectè, nihil tam circumspectè dici potest, quod tutum sit à Calumniatorum moribus. Sicut nullus infans tam pulcher, cui non adflarit quædam vetula malè olens. Nulla virgo tam scitæ formæ, quam non taxet aliquis crepidarum Censor. Non nudiustertius, dico, neque cum Aristotele, sed cum ipsis rerum primordiis, Physica cœpit. Regerit obtrectator. Ita est. Dolendum verò, quod iterum Aristotelem, ipsiusque Discipulos pungat Philosophiæ Peripateticæ osor Sperlingius: Dura se præbet durus atq; inexorabilis homo. Quid dolet livor? Ita est, inquit. Quid igitur dolet livor? Fateatur esse vera, quæ dixi. Quid igitur dolet livor? Si ita est, quem pungo? Pungitnè te, aut urit veritas? Aristotelem ait, & ejus Discipulos pungit Philosophiæ Peripateticæ osor. Hoc illud animalculum ad omnia vitia pronum. Ubique causam invenire potest, ut monstret fortassè, omnes fallendi, omnesque nocendi artes se novisse.

VI. Dolere si vis, dole tuam impudentiam, dole tuam proterviam atque vesaniam. Iterum iterumque dico: Non nudiustertius, neque cum Aristotele, sed cum ipsis rerum primordiis Physica cepit. Si dixissem, non cum Platone cepisse Physicam, vah quam injuriosus fuisset in Platonem & Platonicos! Si dixissem, non cum Pythagorâ cepisse Physicam, pupugissem Pythagoram & Pythagoræos. Apertè colligit & acutè: Qui dicit non nudiustertius, neque cum Aristotele, sed cum ipsis rerum primordiis cepisse Physicam, is pungit Aristotelem ejusque discipulos. Non jam me, sed te subsume & confu-

me. Ita est, inquis. Tu ipse ergo dicis, non nudiustertius neq; cum Aristotele, sed cum ipsis rerum primordiis cepisse Physicam. Nunc appone conclusionem. Et desine tandem atrocibus tuis literis in me invehere. Collige te, & dissipatas animi tui partes in suum locum coge.

In Proë-
mio Phys:

l. d.
Ep. p. 6.

VII. Pergit. *Quis unquam dixit, cum Aristotele cepisse Physicam? Magni momenti quaestio. Mihi non ponenda erant verba ista, quia hic ignorat quis dixerit. Ponatur, neminem dixisse. Ergone non dicendum, Physicam non cepisse cum Aristotele? Nescit rejici falsa, non tantum qua dicta sunt, sed & qua dici possunt. Sed ut ad omne votum homini fortuna fluat, dabo aliquem qui dixit. Dixit is ipse, qui Aristotelem Physicam invenisse dixit. Ita Averrhoës: *Aristoteles tres Scientias invenit, Logicam, naturalem & divinam: & nullus error inventus est, usq; ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum: & talem virtutem esse in uno individuo, potius est miraculosum, quam humanum. Habet, qui dixit. Et quot sunt, qui inventores Philosophiae jactant Græcos? Quos redarguit D. Martini his verbis: *Non Philosophia primum in Græcorum & Ethnicorum cerebro nata est: Sed ante illos etiam veram fuisse philosophandi rationem constat. Adde illa Vogelii: *Inventores philosophiae Græcos vulgus jactitat, eorumque duplex genus numerat; Alterum Ionicum, quod à Thalete Milesio, alterum Italicum, quod à Pythagorâ Samio duxit originem &c. At nos primum hominem Adamum & primum Theologum & primum Philosophum assignamus &c.****

VIII. Pergit Advers. *Cum ipsis rerum primordiis cepit Physica, intellige objectivè & fundamentaliter. Ibi enim Liber naturæ à Sapientissimo ejus Autore in hanc mundi scenam productus, ibi prima scientiæ physicae fundamenta jacta, ibi rerum naturalium essentia constituta, rebusq; certa agendi vires & potentia tributa, quæ fundamenta Scientiæ naturalis continent. Essentias ergo rerum & naturam, prout Deus eam instituit, spectare debet Physicus. Nihil ad rem hæc. Primum Physicum quaesivi, & inveni & monstravi. Sexto creationis die non objectum modo Physicæ, sed ipsa scientia dabatur. Optimus Physicus inter mortales cunctos*
exti-

extitit Adam. Neq; paulatim labore & experimentis acquisivit sapientiam, sed antequam experiri potuit, scivit. Et tardum & varium est, quod tradit usus. DEUS & Natura quæ inferunt, & æqualia sunt omnibus & statim.

IX. Sed pergit. Postquam mentionem injecit Adami & Salomonis, nominat sequentes: Celebres, inquit, olim fuere Physici, Moichus Phœnicus, Hesiodus, Thales, Pythagoras, Heraclitus, Anaxagoras, Democritus, Plato, Ocellus, Epicurus, Zeno & alii. Aristotelem qui omnibus enumeratis palmam præripit, non annumeravit, ex invidia & odio, quo in eum ipsiusque scripta flagrat. Honorificam nihilominus ipsius mentionem facit scribens: Solus Aristoteles cunctis his anteferri longè, & ipsi fermè Salomoni præponi cœpit. Præsertim stomachatur ob unguem. Aristoteli in recensendis autoribus non dedi primas, nec secundas, nec tertias. Hinc rixatur de amico & patrono suo. Ex invidia & odio id factum dicit. Sed præstare debet vir bonus, ne mentiat. Digna imitatione, non invidia, non odio, excellentium virorum verba & facta judico. Nec semel, sed toties, quoties poposcit res, honorificam Aristotelis feci mentionem. Nullum verò inter dictos isti locum dedi, quia distinctus de eo restabat sermo. Paululum peculiaris operæ isti ob assentatores impendendum esse, statui.

X. Sed in laudes Aristotelis descendit vir laudatus. Nulla laus jucundior, quàm quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vivunt. Quidni, ait, jure meritò aliis anteferendus ille, qui non solum acutiùs & accuratiùs suam conscripsit Philosophiam, verùm suis quoque scriptis in Scholas & Academias, per tot seculorum decursum, plurimas maximas utilitates contulit? quod de Aristotele, de aliis verò affirmare non licet. Accedit; quod Philosophiam suam ex antecessorum suorum monumentis composuit, & quæ ab aliis confusè dicta erant, in ordinem redegit, rejectisq; falsis & absurdis opinionibus, veriorem sententiam adstruxit, & posteritati reliquit. Quod verò ipsi fermè Salomoni præferri cœperit, per calumniam dicitur.

XI. Per calumniam me dicere ait, quod ipsi fermè Salomoni præferri cœperit Aristoteles. Denuò noxium illud acerbata-

bitatis & maledicentiæ suæ virus eructat. Quæ dixi, probavi: Sed præterit ea silentio. Referenda ergo sunt, an quæ odio inflammatus in me evomere gestiit, resorbere velit. *Solus Aristoteles, dico, cunctis his anteferri longè & ipsi fermè Salomoni præponi cepit. Collatum in eum ajunt, cujuscunq; capax humanum sit ingenium. Regulam & exemplar eum fuisse, quod natura invenerit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam in materiis. Intellectum Aristotelis, finem intellectus humani extitisse. Unde & insolentissima vox Pererii: Hujus viri quem admirata est antiquitas, posteritas verò etiam venerata, & (ut Lucretii verbis utar.)*

*Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstrinxit stellas, exortus uti athereus Sol.*

Hujus, inquam, viri præstantiam, virtutesq; laudando consequi velle, simile est, ut si quis vellet Oceanum exhaurire, aut stellas cæli dinumerare, & mundi totius magnitudinem manibus suis metiri.

XII. Nervo sagittam aptabo, an ictus resipiscere velit. Argumentor: In quem collatum esse dixerunt, cujuscunque capax est humanum ingenium, is fermè (si non verè) Salomoni præferri cepit. Atqui in Aristotelem collatum esse dixerunt, cujuscunq; capax est humanum ingenium. Ergo Aristoteles fermè (si non verè) Salomoni præferri cepit. Quicumq; constitutus est regula & exemplar, quod natura invenerit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam in materiis, is fermè (si non verè) Salomoni præferri cepit. Aristoteles constitutus est regula & exemplar, quod natura invenerit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam in materiis. Ergo Aristoteles fermè (si non verè) Salomoni præferri cepit. Cujuscunq; intellectus finis intellectus humani constitutus fuit, is fermè (si non verè) Salomoni præferri cepit. Aristotelis intellectus finis intellectus humani constitutus fuit. Ergo Aristoteles fermè (si non verè) Salomoni præferri cepit. Quicumque genus humanum ingenio superasse dicitur, is fermè (si non verè) Salomoni præfertur. Aristoteles genus humanum ingenio superasse dicitur. Ergo Aristoteles fermè (si non verè) Salomoni præfertur.

XIII.

XIII. Iustâ & æqua lance libret hæc, & liberum meâ calumniâ habebit. De iis quæ subsumsi si ambigit, Pererium adeat, quem allegavi, & librum, caput, ac paginam annotavi. Superflua si non nocent, alia ex eodem de Averrhoë afferam. *Mibi quidem, inquit, videtur is non habere Aristotelem tanquam unum aliquem mortaliū, sed veluti Deum quendam Philosophorum colere atque venerari. Longum esset colligere omnes sententias ejus, quæ ad laudationem Aristotelis pertinent: nos paucis in præsentia contenti erimus. In Proœmio suo Physico ita scribit. Aristoteles tres scientias invenit, Logicam, naturalem, & divinam: & nullus error inventus est usque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum: & talem virtutem esse in uno individuo, potius est miraculosum, quam humanum.* Resipiscat Adversarius, & mecum statuatur, Aristotelem ipsi fermè (si non verè) Salomoni præferri cepisse. Tunc me fortunatissimum factum putabo, cum resipuisse te intellexero.

p. 277.

XIV. Illud autem non pugno, Aristotelem laudem mereri, & philosophiam suam ex antecessorum monumentis composuisse & acutè disputasse; quin & scripta Aristotelica per tot seculorum decursus plurimas & maximas utilitates scholis contulisse. Non id inficior, sed assentior. Hoc enitar, nimios fuisse in hac re Interpretes, & monstrosas esse illas ipsas de Aristotele orationes. Quod nec diffiteri potuit Pererius, dum hæc scripsit: *Si cui autem videtur Averroës in laudando Aristotele nimius fuisse, aut transivisse fines veritatis, is sciat me illi assentiri.* Tantum ergò mens mea est, in medio consistendum, & nec plus nimio laudandum esse Aristotelem, nec plus nimio tribuendum Aristotelis libris.

XV. Atq; id tribus rationibus confirmo. Prima est, à conditione humanâ. *Humane conditionis qui memor est, nec ab Aristotele, nec à seipso, errare alienum esse novit.* Secunda est, à conditione Aristotelis. *Homo fuit Ethnicus Aristoteles. Quidni quo ad operum Vei productionem, conservationem & propagationem, multa ignoret Ethnicus?* Tertia est, à conditione librorum Aristotelis. *Accedit, quod Aristotelici libri magnam passi fuerint calamitatem.* *Strabone enim teste ob Regum Attallicorum inquisitionem,*

B

nem,



nem, in fossa quādam sub terrā occultati, & ibi partim tinea, partim humiditate labefactati fuere, tandem verò restituti manū, mutili, ac erroribus pleni, in lucem prodire. His probavi, peccare Averrhoem, peccare omnes, qui Aristotelem finem humani intellectus prædicant, & qui plus in textibus Aristotelis enarrandis, quam veritate ipsā inquirendā, infumunt temporis.

XVI. Sed inquit Adversarius: *Quæ Consequentiā, Aristoteles fuit homo, & potuit errare. Ergo aliis Philosophiam docentibus non est anteferendus? Ergo nullus homo alteri, ob solidiorem doctrinam anteferendus? Ergo nullius hominis scripta alterius scriptis anteferenda? Delectus hic inter Autores faciendus, & videndum, qui plus præstiterit, qui doctius ac accuratius scripserit, qui magis præ aliis veritatem sectatus fuerit.* More suo aliorum atque ego feci accipit omnia. Hinc consequentias capere nequit, quia capere non vult sensum. Aut finem suum obtinere nequit, nisi extra veri fines abeat. Monstruosas hominum de Aristotele sententias adduxi, & has refutavi. Hæc est collectio: Qui novit, nec ab Aristotele, nec à seipso errare alienum esse, is à monstruosis illis sententiis abstinabit. Quid mali hic, quid falsi? Occinat nugator: *Quæ Consequentiā, quæ Consequentiā? Perversitas animi tui fabricavit illas consequentias, non mea ratio.*

XVII. Addit. *Notet sua verba novellus Philosophus, suoq; se modulo metiatur. Plures & graviores errores non videre Scholæ, ac sunt Sperlingij. Ut verè ab ipso dictum sit, quod addit statim: Error si planctus esset, omnium ades personarent ejulatu. O te vesanum! Redis ad illum ipsum antiquum tuum furorem. Quæ potest tibi major esse pœna furore atq; dementia? A te in sano & temerario malo culpari quam laudari. Ab erroribus me alienum non jacto: sed nullum hæcenus monstravit tua insania. Aut monstravit, quia monstrare voluit: Voluntas enim habetur pro facto. Omnem tuam sapientiam & insipientiam non unâ causâ nuce emerim. Nil nisi voces: at rebus, non verbis, augetur peculium.*

XVIII. E Pererio & Zabarella adjeci quædam contra prodigiosas illas de Aristotele sententias. Pererius ait: *Scio eum (Aristotelem) & ignorasse multa & in plurimis gravissimisq; Philosophiæ*

phia questionibus, vel hesitavisse, vel à vero etiam aberrasse. Zabarella habet: Multa sunt res naturales, quas non consideravit Aristoteles, & multa quas non novit. Reponit Adversarius, hæc auctoritati Philosophi nihil præjudicare. Est ita: nihil præjudicant. Oculos aperi, judicium monstrabo, non præjudicium. Quicumq; & ignoravit multa, & in plurimis gravissimisq; Philosophiæ questionibus, vel hesitavit, vel à vero etiam aberravit, in hunc non est collatum, cujuscunq; capax est humanum ingenium. Aristoteles & ignoravit multa, & in plurimis gravissimisq; Philosophiæ questionibus, vel hesitavit, vel à vero etiam aberravit. Ergo in Aristotelem non est collatum, cujuscunque capax est humanum ingenium. Quicumq; & ignoravit multa & in plurimis gravissimisq; Philosophiæ questionibus vel hesitavit vel à vero etiam aberravit, ejus intellectus non extitit humani intellectus finis. Aristoteles & ignoravit multa, & in plurimis gravissimisq; Philosophiæ questionibus vel hesitavit, vel à vero etiam aberravit. Ergo Aristotelis intellectus non extitit humani intellectus finis. Quicumq; & ignoravit multa, & à vero sæpè aberravit, hic genus humanum non superavit ingenio, & omnes stellas præstrinxit sicut sol æthereus. Aristoteles & ignoravit multa, & à vero sæpè aberravit. Ergo Aristoteles genus humanum non superavit ingenio, & omnes stellas præstrinxit sicut Sol æthereus. Desinat itaque Adversarius aliorum rapere mea verba.

XIX. Addit, Instantia hic multa dari possunt. Excipere quæ controversias Theologicas possunt nostra Ecclesiæ Theologi de B. Luthero, quod non omnes cognitas habuerit, quod in quibusdam hesitaverit &c. De Imperatore Jureconsulti, quod non omnes materias juris preposuerit &c. De Hippocrate & Galeno Medici, quod non omnes doctrinas Medicas tractarint, nec omnes controversias cognitas habuerint &c. At quid de ceteris laudatorum istorum Doctorum auctoritati? nihil. Nihil hariolor, sed hominis miror sapientiam, qui ex omnibus Facultatibus dat Instantias. Non plus autem ad negotium conferunt, quam Asini auriculæ ad lusciniam. Repeto argumenta, quæ suppeditarunt verba citata.

Quicumq; & ignoravit multa, & in plurimis gravissimisq; Philosophiæ quæstionibus vel hæsitavit, vel etiam à vero aberravit, in hunc non est collatum: cujuscunq; capax est humanum ingenium. Quicumq; & ignoravit multa, & in plurimis gravissimisq; Philosophiæ quæstionibus vel hæsitavit, vel à vero etiam aberravit, is non fuit regula & exemplar, quod natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam in materijs. Quicumq; & ignoravit multa & in plurimis gravissimisq; philosophiæ quæstionibus vel hæsitavit vel à vero etiam aberravit, istius intellectus non extitit finis humani intellectus. Applicet hæc ad Lutherum, ad Imperatorem, ad Hippocratem, trium facultatum custos. Sed fortassè plus sapiunt instantiæ illæ, quam qui eas afferebat.

XX. Ad secundam rationem regerit 1. *Fuit Ethnicus Aristoteles; quid hoc ad Philosophiam ab ipso posteritati donatam? Sane multum admodum. Repeto verba: Quidni quoad operum Dei productionem, conservationem, & propagationem, multa ignoret Ethnicus? Inquit: Non fuit Ethnicus Philosophus, (nec talis datur, siquidem non datur Philosophia Ethnica) sed Philosophus, qui fuit Ethnicus, in sensu diviso sumendo, non in composito. Labilem habet memoriã. Paulò antè dixit, dupliciter sumi Physicam; in abstracto & in concreto. In naturã nempe suã, & ut est in hominibus. Illo modo eam esse unam, perpetuam, & semper sibi consentientem: hoc variare pro varietate ingeniorum, quod alius hoc, alius aliud excogitet, Si memor sui est, idem de Philosophiã dicet. Datur Philosophia vera, datur falsa: Datur Christiana, datur Ethnica: datur Peripatetica, datur Stoica. Non ratione naturæ suæ, sed ratione subjectorum. Forfan abhorret homo lepidus à nomine Philosophi Christiani. Si placet, sit, maneat, & moriatur Philosophus Ethnicus. Et irrepsisse quædam ex Ethnicismo in Aristotelis philosophiam, non jam è Pico Mirandulano, non è Campanellã; sed è D. Jacobo Martini, acerrimo Philosophiæ Aristotelicæ defensore, tibi dicam. *Quæ in Aristotelis Philosophiam, inquit, ex Ethnicismo & gentilitate, non ex re-ctã ratione & naturalibus principijs irrepsunt, ea ex recta ratione,**

e.g.

in Ded.

Ex

eaq; verbo divinitus patefacto purgata à falsis opinionibus liberavi ac
vindicaui. Discat Adversarius, esse quædam in Aristotelis Phi-
losophiâ, quæ irreperunt ex Ethnicismo. Discat, purgan-
dam esse Philosophiam Aristotelis rectâ ratione & verbo di-
vinitus patefacto. Fideliter hæc mandet memoriæ, ne præ-
ter fluant.

XXI. Pergit. Recolat Sperling: quod non semel Philosophiam
Peripateticam Ethnicam proclamavit. In Dissert. de Pr. Corp:
Nat. c. 1. p. 14. de sententiâ nostrâ quâ productionem formarum ita
scribit: atq; hæc illa Ethnica Philosophia est, qua unum aliquod Prin-
cipium fingitur, materia scil: prima, ex qua dependeant formæ. Et
in Tr. de Or. Form. p. 162. de aliquâ D. Freitagij probatione scribit,
quod sapiat purum Ethnicismum. Recolerem atq; recorderer,
nisi recentissimâ memoriâ tenerem dicta. Recolat ipse re-
sponsa à me data, cum cantilenam eandem caneret. Dicit: *in Anti-*
me Philosophiam Aristotelico-Peripateticam vocitasse Ethnicam, *par: c. 9.*
adeoq; illam colentes Philosophos Ethnicos. Mendaculum hoc est, *p. 129.*
aut impositio egregia. Secundum quid, & de uno principio dictum,
simpliciter ac de totâ Philosophiâ accipit, ut decipiat lectorem, &
me faciat odiosum. Dixerat, formam esse principium, licet sit ex
materiâ. Respondi, sententiâ hanc ex quodam principio facere
principiatum, & evertere seipsam. Subjeci: Atq; hæc illa Ethnica
Philosophia est, qua unum aliquod principium fingitur, materia scil:
prima è qua prodeant formæ. Adbuc assero, Ethnicam hanc esse
Philosophiam, qua unum aliquod Principium fingitur, è quo prode-
ant formæ. Aliter Christiani informati sunt. Non ex uno principio
prodierunt formæ; sed Deus ipse creavit istas, & aliquibus potentiam
dedit sese multiplicandi. Unde Sennertus ait: Procul dubio Aristo-
teles, si veram & primam formarum originem, ita ut nos novimus,
& mundi creationem cognitam perspectamq; habuisset, in multis con-
cinniorem melioremq; Physicam nobis reliquisset.

XXII. Recolat etiam responsa ibidem data ad sententiâ
Freitagij. Fugit ad locum, ubi dixi, probationem Freitagij purum *p. 132.*
sapere Ethnicismum. Freitagius dicebat, ex materiâ prima genera-
ta fuisse elementa, ex elementorum mixtione mixta, ex mixtorum re-
mixtione animata. Respondebam, hoc purum sapere Ethnicismum.

Probabam his verbis: Quando enim quæso ex materiâ primâ generata fuerunt elementa? Putarem vera esse illa, quæ Moses Cap. 1. Gen. habet: Deum fecisse aquam, Deum fecisse terram, Deum fecisse expansum, Deum dixisse ut germinet terra germen, & ut producant aqua reptile & volatile. Sed Adversarius mavult cum Aristotele, homine Ethnico, sibi quandam materiâ primam (quæ forsâ ab æterno extitit) formas elementares ex se gignentem, & mediântibus hiscè animas plantarum & brutorum, imò hominis etiam, (ut infra ait) cudentem imaginarij. quâ Creatari de creaturis proprium testimonium dicenti assentiri. Hinc ansam calûniandi sumit novus Adversarius, & totam Philosophiam Aristotelicam me Ethnicam dixisse, vociferatur. Resorbeat igitur Adversarius sua mendaciola de Philolophiâ Ethnicâ.

XXIII. Regerit. II. Esto, Aristotelem multa ignorasse de operibus Dei; Quid hoc ad ejus Physicam? aut totam Philosophiam? quid hoc ipsius præjudicat auctoritati? Hippocrates & Galenus multæ ignorarunt de operibus Dei; Ergo non fuerunt Principes Medicorum? Quæ consequentia Sperliægi? sufficit solidè accuratèq; proposita esse illa, quæ ad Philosophiam spectant, quæq; naturæ lumine ductus, scripta nobis reliquit Philosophus. Nondum videt, videre quod non vult. Denuò dabo, quod toties dedi. Quicumq; multa ignoravit de operibus Dei, in hunc non est collatum cujuscunq; capax est ingenium humanum; neq; is exemplar fuit, quod natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam in materijs; neq; intellectus ejus finis humani intellectus extitit. Subsumat de Aristotele, & habebit mecum conclusum. Quid hoc inquit, ad Aristotelis Physicam? Quid ad totam Philosophiam? Sed ad nimias & prodigiosas illas laudes, id relatum fuit. Nunc quære, quid hoc ad laudes & monstrosas illas sententias? Si verò dicendum quid ad Physicam & Philosophiam, dico multum admodum. Quod quis nō novit, nemo docere potest. De principatu, de Hippocrate, de Galeno, quæ narrat, tuentur narratoris dignitatem.

XXIV. Regerit III. Quamvis multa de mundi creatione & conservatione ignoravit, ipsa tamen creatio & conservatio mundi cum non latuit. Creationis modum & circumstantias, quas S. Scriptura descri-

describit, ignoravit. Non est natura opus creatio, uti nec conservatio. Hæc igitur nihil ad Physicam. Naturas & res naturales consideravit, nobisq; descripsit Aristoteles in libris suis Physicis. Physicus fuit Aristoteles, non Theologus. Librum naturæ habuit; ex motu & mutationibus rerum Physicarum naturam contemplatus, nec limites Physicæ transgressus fuit. Multò omnium occupatissimus est in laude Aristotelis. Sed tantus ardor amoris non erat, cum scriberet; Aristotelem, ut Ethnicum, pauca de Spiritibus cognovisse, & Pnevmaticam longè perfectiùs & clariùs ex Scriptura Sacrà haberi posse: aliud esse, pauca de Deo, & Spiritibus sciri absolute loquendo, aliud pauca de illis sciri ab hoc vel illo, ut Aristotele, vel alio: absolute loquendo, multa & plurima de Spiritibus naturaliter cognosci posse, nihil verò obstare quod Aristoteles, & fortè alij priscorum Philosophorum, utpote Gentilium pauca cognoverint: nullam esse consequentiam, Aristoteles pauca cognovit & scripsit de substantijs Spiritualibus, ergò pauca de illis sunt cognoscibilia: non videndum esse, quis dicat, an Plato, an Aristoteles, sed quid dicat. O si perstitisset in sententiâ, quam rectè suis consulisset rebus! Sed varium & mutabile semper hominis ingenium.

XXV. Si verò multa de mundi creatione & conservatione ignoravit Aristoteles, obtinemus, non in eum esse collatum cuiuscunq; capax est humanum ingenium, non ejus intellectum esse finem intellectus humani, & quæ sunt alia. Id enim contra admiratores & adulatores intendebamus. Creationem autem quàm rectè tenuerit antecedens monstrat disputatio. Solida aut stolidi est hæc Adversarij collectio: creatio non est naturæ opus, ergò nihil ad Physicam. Forfan eodem modo colliget; natura non est naturæ opus, ergò nihil ad Physicam. Ergò non quærendum quid sit natura, & undè sit? Quid sit mundus, & undè sit? Fuge quærere vir subtilis causam efficientem mundi, ne fias Theologus. Fit nè Theologus, qui Deum considerat, ut primam omnium rerum causam, ut primum motorem, ut conservatorem & gubernatorem naturæ & rerum omnium? Fit nè Theologus, qui in Ethicis considerat

in Diss.
Pn.

derat Deum, ut causam virtutum & omnium bonorum motum? Fitne Theologus, qui in Metaphysicis considerat Deum, ut ens, unum, verum, bonum, infinitum, & independens? Et grandis Theologus in Pneumaticis factus es, ubi Deum considerasti ut Spiritum, & præter gentilium scripta Scripturam Sacram adhibuisti. Transgressus igitur es limites Philosophi, juxta tersum hunc & limatum tuum sermonem.

XXVI. Regerit IV. *Aristotelem ignorasse quidem benedictionem divinam, sed eam etiam Physico, in quantum Physicus est, non esse necessariam, nihilque ad cognoscendam generationis & propagationis naturam facere; Librum naturæ esse normam controversiarum Physicarum, non librum Scripturæ: Aristotelem exquisitè ex eo dedisse generationis naturam.* Scilicet, Metaphysicus verbo divinitus patefacto purgare potest Metaphysicam Aristotelis, teste Jacobo Martini. Pneumaticus perfectius & clarius ex Scripturâ S. habere potest Pneumaticam teste Adversario. Solus Physicus arcendus à Scripturâ S. cui plura, quam cæteris communicat. Hæc ea perversitas est perversi animalculi. Tria sunt principia, juxta quæ formandi ac dirigendi discursus nostri: Sensus, Ratio, & Scriptura. Sensem qui tantum sequitur, parum admodum supra vulgus sapit. Rationem solam sine sensu qui petit, spectra dat pro rebus. Scripturam qui tantum admittit, mancam habet Physicam; sed & mancam qui non admittit. Sæpè enim cum deficit ratio, Scriptura succurrit: quod gratâ mente acceptandum.

XXVII. Quærat fortassis, quid Physico, in quantum Physicus est, necessarium sit? Audiatur Physicus concretum est. Huic id necessarium, quod abstractum infert: infert autem scientiâ corporis naturalis, ratione principiorum seu causarum, ratione affectionum, & ratione specierum. In his si nos informat Scriptura S. non repudianda est. Non mihi sordet Dei verbum præ Aristotelis verbis: neque malim Scripturæ Sacræ oracula prodita, quam quædam falsa Aristotelis dogmata everfa. Benedictio divina, si non naturam & essentiam; fundamentum tamen generationis nobis monstrat: monstrat etiam æquè homini productionem animæ humanæ competere, ac cani canis,

næ, equi equinæ. Ut frustra sit Aristoteles, scribens mente accedere forinsecus. De norma verò quid tandem? At, estne Scriptura Sacra norma Pnevumatica? Et tamen vis, eam ex ipsâ haberi posse clariùs & perfectiùs. Est ne norma Metaphysicâ? Et purgatam esse eam Metaphysicam Aristotelis constat. Manet naturæ liber norma Physicâ: Sed ut à Deo formatus atq, conscriptus, non ut ab hoc, vel ab illo expositus est. Quicquid cum illa norma concordat, accipiendum: Quicquid normæ repugnat, rejiciendum. Non autem id statim repugnare censendum, quod non capit Sensus nec invenit ratio. Hæc ea nostra cœritas, ut paucissima ex operibus Domini cognoscamus. Ipse verò Creator cum se sibi Interpretem, hilari excipiendus est animo. Nefas, creato i proprium de creaturis testimonium dicenti non assentiri.

XXIIX. Ait: *Quinimò etiamsi nulla Scriptura S. esset, tamen Liber Naturæ esset; Et ante Librum Scripturæ fuit Liber Naturæ, ex quo etiam primi homines & Patriarchæ Philosophati fuere.* Loquere Vir Bone. Quid ad rhombum hæc tua exquisita verba? Ergo nè nihil Physico, nihil Metaphysico, nihil Pnevumatico, ex Scriptura Sacra descendum ac probandum, quia, licet non extitisset hæc, tamen Liber Naturæ fuisset? Hoc nugari est, non ratiocinari. Et primis parentibus forsitan annumerabis Adamum & Evam. Unde hi habuere Physicam, unde Philosophiam? Recole quæ dicta tibi thesi primâ, & cave ne neges habitus concreatos. Patriarchas ex inspectione naturæ acquisivisse sapientiam, non negandum: sed ab Adamo ad hos ipsos etiam propagatam esse doctrinam non tacendum.

XXIX. Sed contundenda nunc rationi tertiæ quæ opponere gestijt. Dicit, *antiquos Peripateticos quidem post Theophrastum nihil habuisse, in quo firmiter Philosopharentur, posteriores verò, postquam in lucem iterum venerunt libri Aristotelem imitantes longè meliùs quàm illos philosophatos esse, ac propter errorum multitudinem consentanea dicere necesse habuisse, juxta proprium Strabonis testimonium.* Aisume hæc Antiqui Peripatetici post Theophrastum nihil habuerunt, in quo aut ex quo firmiter Philosopharentur. Posteriores verò unde acceperunt meliorem Philosophiam?
C Post-

Postquam, inquit, in lucē iterum venerunt libri, Aristotelem imitantes longē meliūs, quā illi philosophati sunt, & propter errorum multitudinem consentanea dicere necessum habuerunt. Hinc quæso quid sequitur? Hoc sanē, quædam in illis libris esse Aristotelis, quædam aliorum Autorum, nec posse internosci, quid proprium, quid alienum & suppositivum sit. Hinc si vel maxime omnia extitissent summa in Aristotele: incertum tamen erit, quænam ipsius vera fuerint verba & dogmata. Adeo verò dicta dictis consentanea sunt, ut perpetuò contrariæ sententiæ ex eodem defendantur ab Interpretibus.

XXX. Addit tria verba: *Sufficit illa, quæ habemus Aristotelica, ex collatione locorum ita suppleta esse & emendata, ut cum naturâ & Scripturâ concordent.* Adde & ego tria verba: Non omnia, sed quædam. Ait: *Taceo, quod interitus librorum, aut alia externa injuria illis illata, inventoris & scriptoris auctoritatem non diminuant.* Idem ajo. Non diminutam volo auctoritatem Aristotelis, sed scriptorum istorum, de quibus Strabo ait: *occultata ea fuisse sub terrâ, & ibi partim tineis, partim humiditate labefactata, tandem restituta manca, mutila, ac erroribus plena in lucem prodisse.* De quibus etiam Cardanus scribit: *Optima quæque ex Aristotele in cavernâ periere: quæ ad nos pervenere mutilata, corrupta, vix intellecta, ob brevitatem & pondus sententiarum, argutumq; contextum.*

XXXI. Concludere me, ait, quæstionem: *Hæc omnia eo dicta monitaq; sunt sine, nimium ne pergant fidere Teucris.* Respondet: *Stolida stolidi hominis verba sunt. Quid enim, quæso Deum immortalis, tantillus Philosophus & indoctus novator adversus Philosophorum principem, & adversus totam Scholam Peripateticam? Corydoni hæc si dedisses, quā tibi comminueret caput! In me evomere potes scurra impunè omne virus tuum. Sed pro Asinorum Maximo te habebō, donec ullam stoliditatem mihi dederis probatam. Non stolidi stolidi hominis esse verba illa, vel puer tibi monstraret. Si homo fuit Aristoteles, si Ethnicus fuit, si scripta corrupta fuerunt, nimium sanè non erit fidendum. Neq; forsā per te grandem Philosophum mihi non licebit, quod unicuiq; homini libero licet in re literariâ. Quod non nolit ad-*
mitte-

mittere; & quod nolit, repudiare. Duce tamen Experientia & Ratione; addo & Scripturâ. Nugæ & murmillâ tua non magis me movent, quam muris pusilli crepitus.

XXXII. Iterum iterumq; te moneo, nimium ne fidere pergas. Arcelsam à capite argumentum, an malis tandem veritatem præferre auctoritati. Ordinis Physicam à principijs generationis & constitutionis. Sequeris Aristotelem, cujus principalem scopum esse dicis, de principijs generationis ibi tractate. Peccas contra subjectum Physicæ, contra Methodum Syntheticam, & contra generationem ipsam. Subjectum Physicæ corpus naturale est: hujusmodi sunt principia, hujus affectiones, hujus species. Non ad principalem Aristotelis scopum, sed ad naturam subjecti, respiciendum. Subjecti hujus principia definienda sunt, non generationis, aut nutritionis & augmentationis. Methodus nostra Synthetica est, quâ à principijs progredimur ad ea, quæ constant ex ijs, ut fiat distincta rerum cognitio. Constitutionis igitur, non generationis, non transmutationis principia hic tradenda sunt. Sic assequi poterimus cognitionem corporis naturalis, per cognitionem istorum principiorum, quæ Essendi principia dicuntur. De generatione verò cum in prospectu agendum non sit, etiam non tractanda ibi ejus principia. Non definitio, non divisio Principiorum, juxta generationem instituenda. Tantum ad compositionem & constitutionem respiciendum. De methodo & constitutione Metaphysicæ D. Jacobus Martini hæc habet: *in ipsa methodo & constitutione hujus scientiæ, non auctoritatem Philosophi, sed subjecti naturam imitatum.* Idem agamus, & non juxta Aristotelis intentionem, sed juxta rationem subjecti & methodi procedamus.

XXXIII. Peccas etiam in teipsum, & in Aristotelem. In Theoria corporis naturalis hæc habes: *Jam ad partem Generalem Physicæ Aristotelicæ. Illa ea est, quæ de corpore naturali, ejusq; principijs & affectionibus in communi pertractat, absolviturq; octo libris Quorum d'negotior. Unde rectè Subjectum illorum statuitur corpus naturale amplissimè sumtum.* Dicis, de corpore naturali, ejusq; principijs. Dicis, in communi pertractat. Dicis, corpus naturale amplissimè sumtum librorum istorum subjectum est. Ubi hic generatio? Ubi principia generationis? Ubi generabile corpus?

Disp. 3.
lib. 3.

*Diss. 6.
p. 32.*

pns? ibi ubi augmentabile, visibile, aut risibile. Alibi habes: *Nec nos hoc loco de principijs transmutationis, ex professo esse agendum, arbitramur.* Malè ergò ordiris Physicam tuam à principijs generationis, si ex professo de ijs hîc non est agendum. Malè ob Privationem definitioni Principiorum immisces verba, *vel tanquam ex termino à quo.* Malè dicis hoc loco, tria esse principia, Materiam, Formam & Privationem. Addis: *ut in hoc planè cum Viro illo Clarissimo conveniamus, quo scribit, de corporis naturalis, & non de generationis principijs hic agendum esse.* Nunc animum viciisti potitûs, quam animum te. Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit. Das veritati, das mihi, meisq; locum. Perge ita, perge à te detestari ac deprecari querimoniam. Ad nutum principis dirigimur, ad hunc convertimur, nec tam sensu & ratione nobis opus est, quam exemplo & imperio.

XXXIV. Clausula ut numerosè & jucundè cadat, Augustinum, Hieronymum, & Cyrillum laudasse Aristotelem ait. Laudarint; non invidemus. Dicit, Lutheri, Philippi, & aliorum Theologorum encomia de Aristotele, in Speculo Rationis D. Jacobi Martini videre me posse. *Vidi; non invideo.* Addit, D. Martini & D. Sennertum Aristotelem laudasse. Novi; non invideo. Inquit, Saxonicas Academias hoc nomine à D. Hulsemano commendari, quod Aristotelem extollant. Est ita: sed usq; ad aram. Ait, statuta & Edicta Electoralia ad Aristotelis scripta nos devincire. Est ita: sed usq; ad aram. Non id mandant, ut Aristoteles accomodetur ad id, quod quisq; sentit. Non ut Philosophorum principis dicantur, quæ vix unius servi sunt. Non, ut quælibet Aristotelis verba nostra sint oracula. Non ut integrum non sit nobis, mala à bonis distinguere. Multa tribuimus alienæ industriæ, aliquid & propria relinquimus. Veritas cum poscit, mutamus, deserimus, abjicimus: & contra verum nec à principe Philosophorum, nec à populari nutu pendemus. Idem agere qui recusant, in erroribus inveteratis consenscant, inertes & immoriantur. Claudio verbis D. Jacobi Martini: *Ubi Aristoteles à Naturâ discedit ac deficit, ibi nos etiam ab Aristotele secessionem facimus, & Aristotelicos esse negamus.*

Nov. 2000 ^{8d.}







OGIÆ

io III.

one;
ca ceperit?

esidio
RI

PRÆCLARISSIMI

IS Sperlings/
SSORIS LONGE

RRIMI
i, devotâ animi observantiâ
di.

stit publicæ
ERICUS Krohn/
chicus.

im Leucoreâ
Martij
i, horis matutinis

ERGÆ

i, Acad. Typogr. 1651.

Monsieur Nunges.